

VERS. 22. — DE FILIIS AUTEM ISRAEL NON CONSTITUIT SALOMON SERVIRE QUEMQUAM, SED ERANT VIRI BELLATORES, etc. Hinc ego colligo impositum esse à Salomone Chananæorum reliquiis personale servitium, cui opponitur Hebræorum ab illo servili onere libertas. Neque enim à vectigalibus immunes fuerunt Israeliticæ tribus, quas sic vehementer oppressit Salomon, ut illo defuncto omnes communi conspiratione ad filium ejus Roboam convenerint, dixerintque durum impositum fuisse à parente jugum, illudque ut levius redderet, communibus oraverint votis. Quod autem servire Salomon fecerit homines ab Israelitico genere semine alienos, vidimus supra capite quinto, ubi diximus eos quoniam portabant et opus exercebant verè servile, quodque nihil haberet artis, vel ingenii, fuisse alienos ab Israelis genere, licet non omnes ab ejus religione, quod probabamus ex illo libro secundo Paralipomenon capite tertio, versiculo 17: *Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terrâ Israel, etc., et erant centum quinquaginta millia, et tria millia sexcenti, fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent; octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent.* Filios autem Israel ingenuis operibus addixit, nempe ut arma tractarent, ut curis præessent publicis, ut haberet in gravi atque molestâ regni administratione, adjuutores et socios; neque aliam ab illis personalem operam exigebat, nisi fortassè compensatam mercede. Lege caput 2 Paralipomenon proximè citatum, et videbis quot ex suo genere Salomon publicis operibus præfecerit. De hac re vide Abulensem q. 11, ubi probabile putat Salomonem eo tempore, quo sanctè et moderatè vixit, ab natos omnes, qui residui erant in Judæâ, quos Hebræi non potuerant exterminare. Quæres, an peccarit hic Salomon: nam Deus jusserat omnes Chananæos occidi. — Resp. Abulens. non peccasse, quia nec David pater ejus illos occiderat; unde vel Deum in lege suâ dispensasse, vel potius tunc legem non obligasse, eò quod tunc cessaret omne periculum, quod timebatur Israeli à Chananæis, ne scilicet ipsi Hebræos ad sua idola pellicerent; jam enim erant omninò à Davide et Salomone suppressi, ut id facere et capita elevare non auderent. Rursùm metuere poterat Salomon, ne, si ipse omnes Chananæos occideret, Philistini, aliæque gentes in vindictam simili modo omnes Judæos apud se degentes trucidarent, imò ipsi bellum moverent. Adde, legem jubentem occidi Chananæos maximè pertinuisse ad Chananæos, qui tempore Josue vivebant et deinceps, cum expugnanda et possidenda erat terra, ut indicatur hoc versu. Ita Cajetan. et alii. (Corn. à Lap.)

omni onere exemisse viros Israelitas, neque durum imposuisse jugum; in ætatis tamen flexu, ut mutavit mores, sic etiam ingenio mutato, cœpisse in suos esse crudelem. (1)

VERS. 24. — FILIA AUTEM PHARAONIS ASCENDIT DE CIVITATE DAVID IN DOMUM SUAM, QUAM ÆDIFICAVERAT EI SALOMON; TUNC ÆDIFICAVIT MELLO. Cùm jam pro Pharaonis filiâ domum ædificasset Salomon pro regiâ conjugis dignitate, in illam traduxit ex civitate David, ubi ad illud usque tempus habitaverat. Cùmque civitas esset in superiori loco, ascendisse tamen dicitur juxta Hebræorum idioma; apud quos, ut diximus lib. 1 Reg. cap. 14, n. 11, *ascendo, et descendendo*, idem est quod venio. Ex eo quod additur statim: *Tunc ædificavit Mello*, colligebant Hebræi, ut paulò ante diximus, abstulisse Salomonem publicis hominum conventibus et usibus plateam, seu aream, quæ dicebatur Mello (ab hominum fortassè frequenti multitudine, nam hæc vox multitudinem indicat) et illam ad filiæ Pharaonis, additis ædificiis, habitationem accommodasse. Cur Salomon in regiâ Davidis civitate habitare noluerit, peregrinam feminam, quæ non satis fortassè religioso conjugii suam religionem ac fidem probavisset, discimus ex lib. 2 Paral. cap. 8, v. 11: *Dixit enim (Salomon) rex: Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eò quod sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.* Qui locus pro templorum reverentiâ atque observantiâ observandus est. Non credo Salomoni Pharaonis filiam, id est, Ægyptiam, et alienæ religioni addictam feminam nupsisse, nisi patriam abjurasset religionem, et Israeliticam foret amplexata: at id femina, quæ à primis incunabilis gentilicis fuerat corrupta moribus, et impiis imbuta sacris, quæ non nisi difficilè exuuntur ab animis, simulatè id facere potuit,

(1) VERS. 23. — PRÆPOSITI QUINGENTI QUINGUAGINTA. In Paralipomenis tantum ducenti quinquaginta. Supra, v. 16, legimus ter milenos ac trecentos; et alibi in Paralipomenis ter milenos ac sexcentos; quæ tamen loca facilè conciliantur. Ducenti quinquaginta præpositi, de quibus in 2 Par. 8, 10, præfecti erant militiæ Salomonis, uti textus non obscurè docet. Quingenti quinquaginta, de quibus hic *statutis operibus imperabant*, id est, curabant imperium, proventus, equos. Denique numerum hunc præfectorum tenebant viri in toto regno principes. Ter mille trecenti, de quibus supra, v. 16, vel ter mille sexcenti, de quibus in Paralipomenis, inspectores erant horum centum quinquaginta millium ex alienis vel proselytis, quos rex addixit operibus, cædendisque lignis et lapidibus in Libano. Hæc è variis istis textibus simul collatis colliguntur. (Calmet.)

ne à tanti principis nuptiis excideret. Quod cùm acutus et prudens esset odoratus, habitare eam noluit in eâ domo, quam Deus speciali quâdam ratione consecrasset.

VERS. 25. — OFFEREBAT QUOQUE SALOMON TRIBUS VICIBUS HOLOCAUSTA, ET PACIFICAS VICTIMAS. Tres illas vices explicat liber 2 Paral. cap. 8, vers. 15: *In solemnitate*, inquit, *azy-morum, et in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum.* His diebus Salomon tam in altari holocausti, quod erat ante porticum in atrio sacerdotum, quàm in altari thymiamatis, in quo varii cremabantur odores, multa Deo ad suum quæque accommodata altare obtulit, victimas quidem in holocausti, odora-menta in thymiamatis altari. Neque tamen ideò alias inter ea omittebat hostias, quæ juxta Moysis præcepta aliis diebus immolari debebant, licet id ex hoc loco non habeamus, nisi admodum obscurè. Neque enim in hoc loco Paralip. Salomon dicitur in sabbatis, et calendis, et diebus aliis festis immolasse, sed in eo altari superiore obisse sacrificia, ubi ex præcepto Moysis offerri poterant in calendis, sabbatis, diebusque aliis festis.

PERFECTUM EST TEMPLUM. Jam sæpè dictum est absolutum esse templum imò et regis domum, et illa omnia alia, quæ rex ipse Salomon voluit. Cur ergo sine ullâ, ut videtur, causâ Salomonis templum perfectum esse dicitur? Mihi illa se offert primùm, ut ostendatur omnia sacrificia in utroque altari fieri commodè potuisse, quia jam omnia sic erant perfecta, ut ad tantum opus nemo posset quicquam desiderare, et cùm jam Salomon nihil haberet ultra in templi fabricâ, in quod necesse esset sumptus conferre, in sacrificia contulit liberaliter, quæ mirâ pietate et regiâ liberalitate peregit. Hoc ipsum videtur explicuisse liber 2 Paralip. cap. 8, v. 16: *Omnes, inquit, impensas præparatas habuit Salomon ex eo die, quo fundavit domum Domini, usque in diem, quo perfecit eam.* Ubi videtur esse recapitulatio quædam, et quasi epiphonema, quam adhibere interdum solemus, quando absolutâ aliquâ narratione, ad rem aliam diversam orationem traducimus.

VERS. 26. — CLASSEM QUOQUE FECIT REX SALOMON IN ASIONGABER QUÆ EST JUXTA AILOTH IN LITTORE MARIS RUBRI, IN TERRA IDUMÆÆ. Jam gradum facit historicus sacer ad explicandas Salomonis divitias, et quo illas modo congregaverit; et docet instruxisse classem ad ea maris Rubri littora quæ ad Idumæos pertinent, id

est, ad illius maris orientalem plagam, ubi sita est Asiongaber, locus, ut apparet, construendis atque servandis navibus opportunus. Hic cum Tyrio rege Salomon suos conjunxit in fabricandâ atque adornandâ classe sumptus et industriam. Neque Tyrii, licet abundarent navibus, illas è Mediterraneo ad Erythræum, sive Rubrum mare per longa locorum spatia transportare ullâ ratione potuerunt.

Hic multi multa dicunt, remque non admodum obscuram, neque impeditam suis disputationibus non admodum necessariis obscurant, et impediunt. Quidam contra Scripturæ fidem, ut obstructam suis cogitationibus viam aperiant, Asiongaber à maris Rubri littore ad maris Mediterranei littora trajiciunt. Cùm dubitare nemo aut debeat, aut possit Asiongaber aut esse in Idumæâ, quod est verius, aut saltem propè, et juxta Moab, ut constat ex Deuteron. cap. 2, vers. 8: *Cùm transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestram de Elath et Asiongaber, venimus ad iter quod ducit in desertum Moab.*

VERS. 27. — MISITQUE HIRAM IN CLASSE ILLA SERVOS SUOS VIROS NAUTICOS ET GNAROS MARIS, CUM SERVIS SALOMONIS. Phœnices, qui iidem sunt, qui Sidonii et Tyrii, primi existimantur rei nauticæ inventores, rei sanè nauticæ maximè periti, quos Mela in Phœniciâ commentos esse dicit artem navigandi. Idem Tibullus, qui sic de Tyro:

Prima ratem ventis tradere docta Tyros.
Misit itaque Hiram non naves, quarum magnum creditur habuisse numerum in Mediterraneo mari, sed servos assuetos mari, et rei nauticæ apprime peritos, qui naves à Salomone in Rubri maris littore fabricatas moderarentur. An verò deinceps spe captus lucri classem in Rubro mari rex Tyri paraverit, et Oceano ante illud tempus ignoto Phœnicibus commiserit, capite subsequenti videbimus. Hoc sanè loco nullam cum Salomone classem instruit: quod ex eo quivis persuadere sibi potest, quia aurum ex eâ navigatione comportatum ad Salomonem esse dicitur, neque verbum unum de Hiram, quia ex Tyriis nihil in eâ classe præter nautas fuerat; quorum operam justâ Salomon mercede compensavit.

VERS. 28. — QUI CUM VENISSENT IN OPHIR. Multum hic laborasse video magnorum virorum studia, quorum ego diligentiam non tam interdum laudo, quàm admiror. Neque credo illorum aliquos tam explorandæ veritatis studio, quàm ornandæ patriæ desiderio asseruisse

plurima, quæ neque cogitassent quidem, nisi acres ingeniorum pulsus ardens in patriam amor accessisset. Ego in illo, qui interpretis partes explere vult, et bonâ fide suo sibi muneri, et lectoris utilitati servire, nihil magis desidero ac laudo, quàm veritatis amorem, et ejus indagandæ primum, et maximum studium, præsertim dùm in re sacrâ, atque omni religione venerabili commentario laborat. Quidam Ophir illam regionem esse putant, quæ trans Oceanum est ad plagam occidentalem, quam nostrâ ætate aperuerunt Hispani, vocâruntque *Peru*, et in Scripturâ sacrâ videre se putant illius nominis non obscura vestigia lib. 2 Paralipomenon cap. 3, v. 7, ubi pro eo, quod vulgatus legit: *Porrò aurum erat probatissimum*, in Hebræo est *parvain*. Neque desunt, qui Ophir Hispaniam esse credant, aut credere se dicant, putentque Ophir idem esse quod Tharsis, in quâ ipsi voce Hispaniam agnoscunt.

Ego hic dicam quod magis videtur, et verbis ipsis, et rerum naturæ consentaneum, quod in re conjecturali spectare debet, qui veritatem capiat, et non vult aliis se nimis in credendo facilem ostendere, et sententiam suam minùs esse dignam, cui habeatur fides, cum levibus non tam innitantur fundamentis, quàm inanibus fundamentorum umbris. Ego hic neque Peruanam regionem, ut maximè cupiam, videre possum, et multò minùs Hispaniam, libentiùs hic agnosco Indici, atque Orientalis maris littora, aut insulas, quæ non longè ab Indico mari recesserunt. In illâ enim orientali plagâ (id habeo pro meâ cogitatione) quæ non admodùm distat à mari Rubro, unde classis solvit Salomonis. Deinde quia in illâ regione reperiuntur omnia, quæ in eâ classe ad Salomonem allata esse dicuntur, aurum, ebur, aromata, gemmæ, ligna odorata, quibus regio abundat orientalis: neque ex Peruanâ regione horum aliqua nisi rarè ac modicè comportari audimus. Deinde quia neque Salomonis ætate, neque multis post seculis explorata fuit à quocumque illa regio; imò multi existimârunt, etiamsi sub illâ cœli plagâ temperatâ, comoda esse posset hominum habitatio, tamen nondùm habitata esse, quia interjecta zona, quæ ab ardore dicitur torrida, aditum ad ulteriora præcluderet. At si Salomon illam tentasset, felicique cursu navigationem confecisset, quis ignoraret habitata esse regionem illam, et tractum illum Oceani navibus esse permeabilem? Adde quòd navigia, quibus olim utebantur Phœnices et Tyrii, non erant ejus-

modi, ut ferre possent aut molem fluctuum, quos suscitât Oceanus, aut conficere tantùm spatii, quantum ex mari Rubro ad oram usque Peruanam extenditur: possent tamen oras legere Indici maris, cum non longè sese subducerent à terrâ. Deinde quia Phœnices, seu Tyrii nautæ marinos cursus dirigunt, non quidem ab admirabili naturâ magnetis adjuti, quæ vel tunc nota non erat, ut est meo judicio verisimilius (neque enim, opinor, illius tam necessarium usum abjecissent Phœnices, quorum in mari præcipuum fuit opus, et quæstuosum maximè, neque usus ille admirabilis ab scriptoribus de rerum naturis omissus esset); vel si nota, certè non videtur illis in usu fuisse, quando marinos cursus ad Cynosuram, seu minorem Ursam moderantur, quod tradiderunt longè post hæc tempora non pauci. Sic Ovidius:

*Esse duas Arctos, quarum Cynosura notatur
Sidoniis, Elicem Graia carina notat.*

Et iterùm:

*Magna minorque feræ, quarum regit altera
Graiias,*

Altera Sidonias, utraque sicca, rates.

At si ex Rubro mari ad Peruanam regionem, sive, ut non nemo excogitavit, Hispaniam Phœnices nautæ navigationem instituissent, necesse fuit, ut in medio cursu, ubi æquinoctialem trajecissent lineam, Cynosura deficeret, et cæci errarent, raperenturque quocumque illos venti, aut fortuna raperet. Sed demus recto et facili cursu longam illam viam potuisse confici, certè Salomonis prudentiæ non fuit cum tanto temporum, expensarumque dispendio, viam illam tentare et ignotam, et longam, cum quæstus esset paratus in propinquiori, et minùs periculoso loco.

Ex his rebus in quæstione obscurâ conjecturæ sumuntur. Hæc verò mihi usque ad eò sunt graves, ut nullum in oppositâ sententiâ putem esse pondus, mirerque illam alicui prudenti viro probari potuisse. Sed quod efficere ratio non potuit, fecit, ut dixit ex profanis quidam,

Dulcis amor patriæ ratione valentior omni.

Est itaque Ophir in regione orientali, neque, ut reor, procul à mari Rubro, unde hæc omnia, quæ ad Salomonem adducebantur, adducunt singulis annis in Hispaniam Lusitanæ naves. Neque video, quid hanc communem, antiquamque sententiam aut admodùm præmat, aut solutionem desideret; si quid verò fuerit, suis postea locis commentatio dissolvat.

CAPUT X.

1. Sed et regina Saba, auditâ famâ Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.

2. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, et locuta est ei universa quæ habebat in corde suo.

3. Et docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat; non fuit sermo qui regem posset latere, et non responderet ei:

4. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat,

5. Et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordines ministrantium vestesque eorum, et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum,

6. Dixitque ad regem: Verus est sermo quem audivi in terrâ meâ

7. Super sermonibus tuis et super sapientiâ tuâ; et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quòd media pars mihi nuntiata non fuerit; major est sapientiâ et opera tua quàm rumor quem audivi.

8. Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam!

9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, et posuit te super thronum Israel, eò quòd dilexerit Dominus Israel in sempiternum, et constituit te regem, ut judicium faceres et justitiam!

10. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri et aromata multa nimis et gemmas pretiosas; non sunt allata ultra aromata tam multa quàm ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

11. (Sed et classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis et gemmas pretiosas.

12. Fecitque rex de lignis thyinis fulera domûs Domini et domûs regis, et citharas lyrasque cantoribus. Non sunt allata hu-

CHAPITRE X.

1. La reine de Saba même, sur la réputation de tout ce que Salomon avait fait au nom du Seigneur, vint pour en faire expérience par des énigmes.

2. Et étant entrée dans Jérusalem avec une grande suite et un riche équipage, avec des chameaux qui portaient des aromates et une quantité infinie d'or et des pierres précieuses, elle se présenta devant le roi Salomon, et lui découvrit tout ce qu'elle avait dans le cœur.

3. Salomon l'instruisit sur toutes les choses qu'elle lui avait proposées, et il n'y en eut aucune que le roi ignorât et sur laquelle il ne la satisfît par ses réponses.

4. Or, la reine de Saba voyant toute la sagesse de Salomon, la maison qu'il avait bâtie,

5. La manière dont sa table était servie, les appartements de ses officiers, les diverses classes de ceux qui le servaient, la magnificence de leurs habits, ses échansons, et les holocaustes qu'il offrait dans la maison du Seigneur, fut ravie en admiration;

6. Et elle dit au roi: Ce qu'on m'avait rapporté dans mon royaume

7. De vos entretiens et de votre sagesse était véritable, et je ne croyais pas néanmoins ce qu'on m'en disait, jusqu'à ce que je sois venue moi-même et que je l'aie vu de mes propres yeux; et j'ai reconnu que la moitié de ce qui est ne m'avait pas été annoncé. Votre sagesse et vos œuvres sont au-dessus de tout ce que j'ai appris par la renommée.

8. Heureux ceux qui sont à vous! heureux vos serviteurs, qui jouissent toujours de votre présence et qui écoutent votre sagesse!

9. Béni soit le Seigneur votre Dieu, qui a mis son affection en vous, qui vous a fait asseoir sur le trône d'Israël, parce qu'il a aimé Israël pour jamais, et qui vous a établi roi pour régner avec équité et pour rendre la justice.

10. La reine de Saba donna ensuite au roi cent vingt talents d'or; une quantité infinie de parfums et de pierres précieuses. On n'a jamais apporté depuis à Jérusalem tant de parfums que la reine de Saba en donna au roi Salomon.

11. (La flotte d'Hiram, qui apportait l'or d'Ophir, apporta aussi de ce pays une quantité de bois odorants et des pierres précieuses.

12. Et le roi fit faire de ces bois rares les balustres de la maison du Seigneur et de la maison du roi, des harpes et des lyres pour les